

Quid aut, quam graue illud est, ad salutem cometas metuendos esse, & hoc à nobis Deū requirere? Hoc ego scio, te nunquam uiris grauibus ista probaturum. Atque tua illa ratio ab ijs fontibus manat, *immittuntur à Deo cometae, ergo sunt signa, ergo seruandi cuentus. Nam signa refferuntur ad significata.* Si ponas fundamenta, & nemo vetet, facile tu quidem ædificabis. Verum hoc, hoc vnū tibi eripiam. N. vnde omnia tua corruent, nemini consistere posse, ab irato Deo cometas esse. Quod si non sunt, ergo nec nunciij (vides me quoque acerualibus uti) ergo neque signa, ergo nulli euentus, quia nihil significant. Tu autem palmarium censes argumentum esse hoc, *est cometa signum, ergo significat.* Hoc tu me doce, signum esse cometa & uinces. simul & illud uince, cur non sunt etiam signa, & monstra, & metuenda, fulgur, tonitru, & fulmen. Etenim & miranda, & horrenda sunt, & post hæc phasmatha, multæ incidunt sæpè ærumnæ. Atque de hac opinione fatis. Ad reliqua ueniamus.

Cap. VII.

*Cœli ardor* Cœlum anno 1575. in uindemia mense Octobre per noctem integram arsit uel ardere uisum est. Dimidia cœli pars ad Aquilonem flagrabat. Res mihi nunquam prius uisa, & omnibus certè mortalibus tremenda. Lux magna latitante luna, ad Silesiam et Sarmatiam existit, instar crepusculi matutini. Erat in horizōte plaga in arcum eminens & oblonga: atque ex lucido isto tractu à summa extremitate radij ingētes, modò hīc modò ibi reētissimi erumpebant. Qui radij, uel diu immoti ac turbinati stabant, uel dissipabantur, & noui subinde prodibant. Et (quod cum stupore contemplabar) ex radiatorū interuallis emicabant flammæ ingentes, tremulæ: quæ mox in cœli uerticem una post alia cursu celerrimo ferebantur. In quo loco non pauca aliquam diu manebant, mox aliqua euanescebant.

Vidi